

dictu, & quovis indignum Theologo) quo nihil abfuerint ab Anti-Christianâ illâ Epochâ, anathemate sancitâ; prætextu nescio quo cavendæ securitatis carnalis, & superbæ præsumptionis de salute; cum tamen nihil magis, quàm plena persuasio & Parrhisia, ac Plerophoria Fidei absq; disceptatione ab omnibus requiratur. Rom. 4. 21. Coloss. 2. 1. Jacobi. 1. 6. Hebræ. 10. 22. 35. Esaiæ. 7. 9.

## CVII.

An non dilectus ille CHRISTI Discipulus expressimè, *Quisquis natus est ex Deo (inquit) peccatum non committit? nempe ad mortem. Quare? Quia semen ipsius in eo MANET (addit) Et non potest peccare, quia ex Deo natus est; ubi causâ non peccandi in Spiritum, stabilitas seminis in natis ex Deo asseritur; Quæ si vera & genuina causâ non peccandi est, necessariò sequitur, ex disciplina Analyticâ, eos in quibus semen non manet, sed totaliter deficit, in Spiritum peccare posse, contrâ quàm de Electis testatur Dominus, fieri non posse, ut seducantur. 1. Joh. 3. 9. Matthæ. 24. 24.*

## CVIII.

Sic eâdem Epistolâ, cap. 2. non solùm. 19. docet in Ecclesia manere, qui sunt ex Ecclesia, sed etiam 27. disertè inquit, *Unctio, quam vos accepistis ab eo, MANET IN VOBIS: Item: Eadem unctio docet vos de omnibus, & verax est, & non mendax: Et sicut docuit vos, manebitis in eo; Sicut idem semetipsum explicans cap. 5. 18. Qui genitus est ex Deo (inquit) conservat seipsum, & Malus ille non tangit eum: Quare? quia virtute DEI custodiuntur per Fidem, teste Petro, 1. Pet. 1. 5.*

## CIX.

Itaq; Scripturæ & veritati, quæ est ipse Dominus, in os contradicunt, qui Fidem totaliter, non modò respectu Objecti, hoc est, ratione articuloꝝ Fidei (præsertim salutis adæquatorum) sed etiam subjectivè, quatenus ea nobis inhæret, nullâ non sui parte aboleri, & Spiritum deleri penitus posse, ferreo ore clamitant; cum Dominus contrâ disertè dixerit: *Ego autem rogabo Patrem, & alium Consolatorem dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum: Spiritum illum veritatis, QUEM MUNDUS NON POTEST RECIPERE, quia non videt Eum, nec novit Eum, vos autem cognoscitis Eum, quia apud vos MANET, & in vobis erit, Joh. 14. 16. & 17.*

## CX.

Eòdem expressa Scripturæ testimonia, de perseverantia Sanctorum in Fide, & stabilitate Gratia pertinent, passim ab Orthodoxis citata, cujusmodi supra vidimus ex Vetere Testamento, dulcissimæ consolationis

nis